

plissima atque ornatissima semper aluit, & in dies
educat studiosissime; aut quis usquam aptior
operi locus, quàm ea in urbe, in qua his com-
modis præstiterit Principis optimi beneficentia?
Eo enim suis **CÆSAR** Clementissimus vi-
ctoriis ubique gentium pace restituta felicitati
publicæ consuluit, ut veluti renascentes iterum
bonas artes amore foveat, excitetque liberalitate
præmiorum.

Spe igitur eximia ductus, bonis avibus, Me-
diolanum veni, quò me ad Excellentissimum
Comitem **CAROLUM ARCHINTUM** vetus
invitabat clientela, immovero traherat. Quid
enim præsidii mihi non sperandum fuisset à be-
nignissimo patrono, tantæque auctoritatis viro,
avitæ nobilitatis splendore, amplissimisque hono-
ribus decorato, cui nil carius quàm literæ, nul-
lusque sermo jucundior, quàm qui de philoso-
phicis, cæterisque doctrinis, vel de antiquitate
sit institutus. Quippe noveram exinde procli-
vem, & ceu anhelantem animum ad hæc stu-
dia, cum ad insignem Bibliothecam suam or-
nandam, adeo meam sæpesæpius urgeret operam
in comparandis undequaque selectissimis libris,
ut vinceret impatienti moræ desiderio diligen-
tiam, mirarerque nullum pretio modum adhi-
bendum, gratiamque me maximam initurum
certò scirem, si rarioris codicis inexpectato quasi
munere donarem. Quamobrem facile mihi sua-
debam consilium meum de edendis rerum Itali-
carum Scriptoribus illico probaturum, modisque
omni-